

»impediatur exigentiam illorum tributorum exequi: nam respon-
 »deri potest cum Lugo (1) non sufficere impedire quomodo-
 »cumque per fraudem bonum alterius, ut inde rite oriatur obliga-
 »tio restitutionis; haec oriatur quidem si per se et immediate pro-
 »veniat ex fraude damnum alterius, non autem si proveniat remote
 »et per accidens; neque enim quilibet habet jus strictum, ne ponam
 »actionem remote et per accidens tantummodo damnum affe-
 »rentem.»

Finem imponam verbis Lugonis (2): «Propter haec mihi
 »semper maxime placuit consilium Patris Molinae dicta dis-
 »put. 674, num. 9, ubi in primis dicit, monendum esse populum
 »ad tributa solvenda, et ad bene, ac juste de illis judicandum, et
 »praesumendum, et ante factum consulendum esse, ne defrauden-
 »tur; post factum vero, et post defraudatum tributum, si promit-
 »tens certo vel probabiliter sibi persuadeat, in tanta tributorum
 »multitudine esse aliquid injustum quod ipse solvit, vel multitu-
 »dinem ipsam esse nimiam, et excessivam, vel se, attenta qualitate
 »suae personae, et negotiorum, ex reliquis tributis, quae non de-
 »fraudavit, competenter contribuisset ad necessitates publicas, non
 »esse cogendum a confessario ad restitutionem: hac tamen doctri-
 »na prudenter, et cum dexteritate magna utendum esse, solum ne
 »sacramentum poenitentiae reddant nimis grave, et ne viam salutis
 »praecludant multis, qui esto a Confessario obligentur, non resti-
 »tuent, et aeternam damnationem incurrunt. Caeterum curandum
 »esse, ut semper populus ad obediendum Principibus inclinetur, ut
 »et Reipublicae pax, et obedientia, ac reverentia Principibus debita
 »conservetur.»

CAPUT II.

De Religione.

165. Praenotandum. De virtutibus annexis justitiae. Illae virtutes dicuntur esse annexae justitiae, ejusque veluti partes quaedam, in quibus cernitur quidem aliquod debitum ad alterum; tamen illud est vel adeo magnum ut illi non possit satisfieri ad aequalitatem: vel est ita parvum ut non inducat obligationem legalem et strictam, sed solum moralem, quae ex quadam honestate virtutis procedit: estque talis, ut nisi illi satisfiat, honestas morum conservari non possit, vel non commode et decore possit. «Ratio justitiae, ait D. Thomas (3), consistit in hoc, quod alteri

(1) D. 37, n. 106.—(2) D. 36, n. 43.—(3) 2, 2, Q. 80, ar. unic.

»reddatur quod ei debetur secundum aequalitatem... Dupliciter
 »ergo aliqua virtus ad alterum existens a ratione justitiae deficit:
 »uno quidem modo, inquantum deficit a ratione aequalis: alio
 »modo inquantum deficit a ratione debiti.»

Prioris generis sunt: Religio erga Deum; «quidquid ab ho-
 »mine Deo redditur, debitum est, non tamen potest esse aequale, ut
 »scilicet, tantum homo ei reddat, quantum debet; secundum illud
 »Psalmi (1): *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit
 »mihi?*»

Pietas erga parentes, «per quam, ut Tullius dicit (2):
 »sanguine junctis patriaeque benevolis officium et diligens tribui-
 »tur cultus.»

Observantia erga majores, per quam, ut ait Cicero (ibid.),
 »homines aliqua dignitate antecedentes quodam cultu... et honore
 »dignantur.»

Obedientia, quae est pars observantiae, quasi *ob audientiam*,
 quod vox et praeceptum superioris audiatur et admittatur. Est
 specialis virtus quatenus ideo expresse aliquid facit, quia praecep-
 tum est.

Posterioris generis sunt: Veritas, nam ad honestum debitum
 pertinet quod homo talem se exhibeat alteri in verbis et factis,
 qualis est. Per eam, dicit Tullius (ibid.), «immutata ea, quae
 »sunt, aut fuerunt, aut futura sunt dicuntur.» Ei opponuntur men-
 dacium, hypocrisis, jactantia et ironia.

Gratitudo, prout aliquis «recompensat alicui secundum ea,
 »quae fecit... in bonis.» Tullio (ibid.) est: «amicitiarum et offi-
 »cium alterius memoria, et alterius remunerandi voluntas.»

Vindicta, prout aliquis recompensat in malis, per eam
 juxta Tullium (ibid.) «Vis aut injuria, et omnino quidquid
 »obscurum est, defendendo aut ulciscendo propulsatur.»

Amicitia seu affabilitas, quae procurat ut conversatio nostra
 cum proximis in rebus seriis sit grata et talis qualis esse decet,
 spectata conditione nostra, personarum quibuscum agimus, nego-
 tiorum, et reliquis circumstantiis; ita ut neque nimis blande,
 neque nimis aspere in congressibus nos geramus. Ei opponuntur
 adulatio et litigium.

Liberalitas, quae moderatur amorem pecuniae rerumque ei
 aequivalentium et reddit homines faciles et promptos ad eas expen-
 dendas quando ratio dictat. Ei opponuntur avaritia et profusio.
 Debitum harum virtutum, ait Angelicus, l. c. «est necessa-
 »rium sicut conferens ad majorem honestatem, sine quo tamen
 »honestas conservari potest.»

(1) CXV, 12.—(2) L. 2, de *Invent. ant. fin.*

Additur postea a D. Thoma (1) his virtutibus *επιεικεια*, Aequitas quando aliquid agitur contra verba legis, eo quod bonum commune, vel ratio virtutis id postulet. Potest esse virtus specialis si consideratur ut est virtus inclinans ad recedendum a verbis legis quando ob universale bonum deficit a recto, ut intentioni legislatoris nos accommodemus; ex quibus patet, hanc virtutem eodem fere modo justitiae annexam esse, quo obedientia; quia sicut haec satisfacit legi et praecepto, ejus verbis se conformando; ita illa satisfacit intentioni a verbis legis recedendo. Dixi *potest*, quia valde probabile est non esse unam virtutem a reliquis distinctam, vel saltem talem virtutem non esse necessariam: ratio est quia aequitas in omni genere legum et in omni materia virtutum, locum habet et non respicit unam rationem formalem, sed diversas rationes honesti (v. g. charitatis, si non tradis ensem apud te depositum, ne fiat homicidium) in diversis materiis imo in diversis casibus circa eandem legem intuetur (2).

Hic solum de principaliore virtute Religionis aliqua disputabimus, omissis, quae ut minus necessaria et faciliora ad alias virtutes pertinent.

ARTICULUS I.

De natura et actibus religionis devotione, oratione et voto.

THESIS XXIX.

Religio: a) est virtus, qua Deo debitus tribuitur cultus; b) respicit ut objectum formale peculiarem honestatem, quae in colendo Deo infinite excellenti relucet: c) unde est virtus specialis non tamen theologica sed moralis.

166. Nota. I. «Sicut Isidorus dicit (3), religiosus a relegendo appellatur, qui retractat, et tamquam relegit ea quae ad cultum divinum pertinent;» et sic religio videtur dicta a relegendo ea quae sunt divini cultus, quia hujusmodi sunt frequenter in corde revolvenda, secundum illud Prov. (4): *In omnibus viis tuis cogita illum*. Quamvis etiam possit intelligi religio ex hoc dicta, quod «Deum relegere debemus, quem amiseramus negligentes,» sicut Augustinus dicit in 10 de *Civ. Dei* (5). Vel potest

(1) 2, 2, Q. 120.—(2) Ex Lessio. De just. et jur. L. 2, in cc. 46, 47, post D. Thom. 2, 2, Q. 80; Q. 120.—(3) L. 10, *Etymol.*—(4) III, 6.—(5) Cap. 4,

intelligi religio a religando dicta; unde Augustinus dicit (1): «Religat nos religio uni omnipotenti Deo.» Sive autem religio dicatur a frequenti relectione, sive ex iterata electione ejus quod negligenter amissum est, sive dicatur a religatione, religio proprie importat ordinem ad Deum. Ipse enim est cui principaliter alligari debemus tamquam indeficienti principio ad quem etiam nostra electio assidue dirigi debet sicut in ultimum finem (2).» Definitur a D. Augustino (3): «Religio est virtus, quae superioris cujusdam naturae, quam divinam vocant, cultum caerimoniamque adfert.» Planius cum Lessio (4): «Religio est virtus, quae debitum cultum Deo, tamquam primo rerum omnium principio exhibet.» Haec est prima et principalis acceptio vocis religionis ex qua sive per connexionem, sive per analogiam derivata est: a) ad significandum officium parentibus debitum; b) et praecipue ad statum religiosum, nam ut notavit Angelicus (5) «quamvis religiosi dici possint communiter omnes qui Deum colunt, specialiter tamen religiosi dicuntur qui totam vitam suam divino cultui dedicant, a mundanis negotiis se abstrahentes.»

II. In virtutibus solet considerari *objectum formale* i. e. propter quod, seu ratio sub qua operatur talis virtus, et *objectum materiale* seu id circa quod virtus versatur et ad quod tendit. (Vide Quaest. praev. Dico II). Hic in memoriam revocandum, *objectum materiale* posse dividi *in quod* vel *cui*. Objectum *quod* est illud, quod omnino directe et immediate per internum actum virtutis attingitur; ita se habet Deus ad actum quo amatur. Objectum *cui* illud est quod solum mediante alia actione attingitur, quamvis cum illa conjunctum sit; ita se habet res quam honoramus, respectu voluntatis illam honorandi. Cum religio reddat debitum cultum Deo, objectum materiale proprium et directum virtutis religionis est actio v. g. genuflexio, qua creatura intellectualis Deum colit, objectum autem materiale indirectum seu cui est ipsemet Deus, qui non in re, sed mediante aliquo actu attingitur a Religione, quo totam suam materiam in Deum ut personam refert ad eum debite honorandum.

Objectum formale est quod cum communiori doctorum sententia statuimus in thesi, aliquibus non tam in re quam in modo loquendi dissentientibus. Verbis «in Deo honorando infinite excellenti,» significamus rationem fundamentalem, sub qua Deus objicitur religioni, ut ei debitus tribuatur cultus; nam ut ait Suarius (6): «Cum voluntas studiose tendit in aliquam personam, referendo in

(1) Lib. *De vera religione*, cap. II, § 3.—(2) D. Thomas 2, 2, Q. 81, a. 1.—(3) L. 83, Q. 2, q. 31 ex Cicer. de *Invent. ant. fin.*—(4) De just. et jur. L. 2, c. 36, n. 2.—(5) 2, 2, Q. 81 ad 5.—(6) De Relig. L. 1, c. 6, n. 1.

»eam operationem aliquam, vel actionem, necessarium esse ut
 »respiciat in tali persona aliquam rationem, quae talem actionem
 »honestet; ut justitia respicit jus, quod persona habet ad talem rem
 »vel actionem, misericordia indigentiam, et sic de aliis. Sic ergo
 »oportet ut religio etiam respiciat in *Deo* rationem aliquam ob
 »quam justum et honestum sit, cultum vel quippiam simile tri-
 »buere.» Hanc rationem dicimus esse excellentiam
 divinam, nomine excellentiae divinae intelligentes cum Sua-
 rio ex D. Thoma (1) summam Dei perfectionem coalescentem
 nostro modo intelligendi, ex omnibus attributis, nam ut dicit
 D. Thomas «Diversae rationes attributorum concurrunt ad ra-
 »tionem primi principii, quia Deus producit omnia et gubernat sa-
 »pientiã, voluntate et potentiã bonitatis suae.» Haec ratio ex-
 »cellentiae indistincta ab aliis attributis etiam ratione ut no-
 vum attributum; communis, una eademque est in
 omnibus attributis, cum ideo omnia attributa habeant
 summam excellentiam, quia attributa sunt entis a se, seu summi
 principii; quare non sunt plures virtutes religionis statuendae, licet
 aliquis Deum propter diversa attributa colat v. g. quia summe mi-
 sericors, summe potens, etc.

167. I.^a Pars. a) Est virtus, qua Deo debitus tri-
 buitur cultus. Prob. 1.^o Quod *sit virtus* cum D. Tho-
 ma (2)... «virtus est «quae bonum facit habentem, et opus ejus
 »bonum reddit;» et ideo necesse est dicere omnem actum bonum
 »ad virtutem pertinere. Manifestum est autem quod reddere debi-
 »tum alicui habet rationem boni; quia per hoc quod aliquis alteri
 »debitum reddit, constituitur in proportionem convenienti, respectu
 »ipsius, quasi convenienter ordinatus ad ipsum... Cum ergo ad re-
 »ligionem pertineat reddere honorem debitum alicui, scilicet Deo;
 »manifestum est quod religio virtus est.»

2.^o *Qua Deo debitus tribuitur cultus;* constat ex auctoritatibus
 adductis in nota I, et probatur: sicut hominibus ob potestatem, sa-
 pientiam, virtutem, cujusvis perfectionis excellentiam debetur
 singularis honor, a fortiori Deo infinite excellenti veluti tributum
 quoddam ab omni creatura rationali erittribuendum, quo illius
 excellentiam et suam subjectionem et in omnibus dependentiam
 testetur. Sed virtus quae tale debitum reddit, recte dicitur religio.
 Ergo... *Min.* prob. ex D. Thoma (3): Deus «enim est cui prin-
 »cipaliter alligari debemus tamquam indeficienti principio; ad
 »quem etiam nostra electio assidue dirigi debet sicut in ultimum
 »finem; quem etiam negligentes peccando amittimus; et credendo,
 »et fidem protestando recuperare debemus.»

(1) 2, 2, Q. 81, a. 3 ad 1.—(2) 2, 2, Q. 81, a. 2.—(3) Ibid. a. 1.

168. II.^a Pars. Respicit ut objectum formale pe-
 culiarem honestatem, quae in colendo Deo infinite
 excellenti relucet. Prob. actus religionis sunt voluntas vel
 procedunt a voluntate reddendi cultum Deo prout ipsi talis cultus
 est debitus, ut patet ex prima parte. Sed objectum formale horum
 actuum ac consequenter habitus est honestas, quae relucet specia-
 liter in eo reddendo debito; nam ratio honestatis specialis hujus-
 modi debiti est sufficiens ut immediate et propter se moveat ad
 Deum colendum. Ergo objectum formale virtutis religionis, etc.
 Confirm. cum Lessio (1): «nam ita se habet religio ad Deum
 »sicut justitia particularis ad proximum: atqui proprium objectum
 »justitiae particularis non est proximus, sed res proximo debita;
 »ergo similiter objectum (formale) religionis non est Deus aut ex-
 »cellentia divina sed cultus Deo debitus.» Reddit nihilominus cul-
 tum Deo ut infinite excellenti, quia divina excellentia est ratio fun-
 damentalis et radicalis cur specialis cultus Deo tribuatur.

169. III.^a Pars. Unde est virtus specialis, non ta-
 men theologica sed moralis. Est veluti corollarium
 praecedentium partium. Prob. 1.^o Est *virtus distincta ab aliis* cum
 D. Thoma (2): «Ubi est specialis ratio boni, ibi oportet esse
 »specialem virtutem. Bonum autem ad quod ordinatur religio, est
 »exhibere Deo debitum honorem. Honor autem debetur alicui ra-
 »tione excellentiae. Deo autem competit singularis excellentia, in-
 »quantum omnia in infinitum transcendit secundum omnimodum
 »excessum. Unde ei debetur specialis honor; sicut in rebus humanis
 »videmus quod diversis excellentiis personarum diversus honor de-
 »betur, alius quidem patri, alius regi et sic de aliis. Unde manife-
 »stum est quod religio est specialis virtus.»

2.^o *Non est virtus Theologica, sed moralis;* nam ex alibi di-
 ctis (3), virtus theologica primario et formaliter habet pro objeto
 formali Deum vel aliquam divinam perfectionem: e contra virtus
 moralis habet pro objeto formali aliquam honestatem creatam et
 non Deum vel aliquam divinam perfectionem. Atqui ex secunda
 parte virtus religionis non habet pro objeto formali Deum, imo
 nec ut *quod* materialiter (supr. confirm. ex Lessio), sed pecu-
 liarem illam honestatem, quae in Deo summe excellenti colen-
 do relucet. Ergo virtus religionis, etc. Ad rem D. Tho-
 mas (4): «Affertur autem Deo debitus cultus, inquantum actus
 »quidam quibus Deus colitur, in Dei reverentiam fiunt: puta sa-
 »crificiorum oblationes, et alia hujusmodi. Unde manifestum est

(1) De just. et jur. L. 2, c. 36, n. 10.—(2) 2, 2, Q. 81, a. 4.—(3) Quaest.
 praev. Dico I.—(4) 2, 2, Q. 81, a. 5.

»quod Deus non comparatur ad virtutem religionis sicut materia
»vel objectum, sed sicut finis. Et ideo religio non est virtus theo-
»logica, cujus objectum est ultimus finis, sed est virtus moralis,
»cujus est esse circa ea quae sunt ad finem.»

170. Obj. 1.^o Virtute religionis etiam indebitus honor Deo tri-
buitur, ut patet in operibus libere sine praecepto in honorem Dei
praestitis. Ergo religio non solum debitum, sed alium etiam cul-
tum Deo affert.

Resp. Dist. *Antec.* Tribuitur indebitus honor in exercitio; conc.
In specificatione; neg. Dicitur enim actus debitus quoad exercitium
quando urget obligatio exercendi illum, haec obligatio non sem-
per conjuncta est cum honestate actus, quia raro sequitur ex illa
praecepto considerata, sed ex speciali praecepto, vel ex speciali ne-
cessitate. Quoad specificationem autem dici potest actus debitus
alicui personae, quando talis persona, ratione suae excellentiae,
vel alio simili titulo jure suo postulat talem actum, qui licet non
semper necessarius sit, tamen et aliquando esse potest, et saltem
semper est necessarium non operari contra tale debitum. Aliunde
debitum religionis numquam exauriri potest, quia huic virtuti
peculiare est, ut debitum ejus numquam possit impleri solutione;
tum quia debitum quodammodo infinitum est; tum etiam quia ipsa
solutione crescit, nam per eam novum beneficium homini confer-
tur (1).

Obj. 2.^o Sicut Deus propter suam bonitatem diligitur charitate,
ita propter suam excellentiam colitur religione: ergo sicut bonitas
Dei est objectum formale charitatis, ita excellentia erit objectum
formale religionis.

Resp. Dist. *antec. Propter.*, eodem modo; neg. Diverso; conc.
Cum dicimus Deum amari propter suam bonitatem, significamus
divinam bonitatem esse objectum quod amatur et rationem forma-
lem amandi; at cum dicimus Deum coli propter suam excellentiam,
significamus divinam excellentiam esse fundamentum vel ratio-
nem ob quam Deus sit dignus cultu, non vero intendimus signi-
ficare illam esse objectum formale religionis. Deus est quidem ob-
jectum cui religio vult exhibere cultum, sed excellentia divina so-
lum est ratio propter quam Deus sit dignus tali cultu, vel cultus
determinatae speciei ei debeatur; excellentiam vero ipsam religio
nec vult, nec amat, sed tantum praesupponit, tamquam constitu-
tivum sui objecti a cujus honestate immediate movetur.

Inst. Non repugnat Deum directe et immediate colere propter
ejus summam excellentiam, ergo religio potest habere Deum im-
mediate pro objecto formali.

(1) Suar. De relig. L. 1, c. 9, n. 8.

Resp. Neg. *conseq.* Talis actus non esset religionis sed charita-
tis; nam velle Deo cultum immediate ob ejus excellentiam est velle
Deo bonum aliquod externum, quia Deus bonus et excellens est:
hoc autem est amare Deum propter ejus perfectionem, quod chari-
tatis est. Exemplo declaratur: si aliquis Petro debeat 100 aureos,
potest debitum solvere vel amore justitiae seu propter honestatem
actus solvendi non amans nec abhorrens Petri jus, vel potest sol-
vere amore Petri, cui hoc bonum vult propter ipsum Petrum a se
dilectum; primo modo exercet actum justitiae, secundo actum amo-
ris. Similiter ad reddendum cultum Deo potest aliquis moveri vel
ob honestatem cultus non amans nec abhorrens Deum aut ejus ex-
cellentiam, vel ob amorem Dei aut ejus excellentiam: primo modo
exercet actum religionis, secundo actum charitatis.

Obj. 3.^o Unius virtutis unus est actus; habitus enim distinguun-
tur secundum actus. Religionis autem multi sunt actus, sicut
colere et servire, vovere, orare, sacrificare, et multa hujusmodi.
Ergo religio non est una virtus (1).

Resp. 1.^o D. Thomas dist. *Min.* Religionis multi sunt actus,
qui ad unum reducuntur; conc. Qui ad unum non reducuntur; neg.
«Eodem actu homo servit Deo et colit ipsum; nam cultus respicit
»Dei excellentiam, cui reverentia debetur; servitus autem respicit
»subjectionem hominis, qui ex sua conditione obligatur ad exhi-
»bendam reverentiam Deo. Et ad haec duo pertinent omnes actus,
»qui religioni attribuuntur, quia per omnes homo protestatur di-
»vinam excellentiam et subjectionem sui ad Deum, vel exhibendo
»aliquid ei, vel etiam assumendo aliquid divinum.» Ad uberiores
declarationem cum Suario:

Resp. 2.^o Dist. *Maj.* Unius virtutis unus est actus quoad remote
imperatos; neg. Quoad elicitos et proxime imperatos subdist. Saltem
unitate specifica subalterna; conc. Semper infimâ; neg. Sic certum
existimat, Suarius, dari aliquam distinctionem specificam in
actibus religionis, eam scilicet, quae communis est omnibus habi-
tibus, praesertim voluntatis, quae circa eundem terminum potest
habere amorem et odium; hi actus certe distinguuntur specie et
tamen sunt ab eadem virtute: sic amor cultus Dei et odium divinae
irreverentiae pertinent ad religionem. Similiter quamvis sint actus
religionis jurare, sacrificare, rationes tamen eorum, nempe testi-
monium divinae auctoritatis, supremi domini, sunt valde diversae
et sufficientes quoad nos ad fundandos actus specie diversos; licet
locum non dent divisioni virtutis religionis in species (saltem
probabiliter), quia omnes sunt in honorem Dei propter summam
ejus excellentiam (2).

(1) Ex D. Thomas 2, 2, Q. 81, a. 3. — (2) V. Suar. De relig. L. 2,
c. 4; L. 3, c. 8.

Obj. 4.^o Religio est «virtus theologica. Dicit enim Augustinus (1): «Deus colitur fide, spe et charitate,» quae sunt virtutes »theologicae. Sed cultum Deo afferre pertinet ad religionem. Ergo »religio est virtus theologica (2).»

Respondeo ex D. Thoma, distinguendo *maj.* Imperative i. e. imperando actus cultus; conc. Seipsis; neg. Ad quam solutionem dicit Suarius (3), sententia verissima est in se: quod vero fuerit sensus Augustini, non audeo dicere quia in cap. 2 expresse interrogat quomodo colendus sit Deus, existimoque, cum Augustinus fidem, spem et charitatem numerat, non solos actus internos ab his virtutibus elicitos intelligere, sed etiam omnes actus quacumque ratione ab his virtutibus procedant comprehendere. Quare verior solutio est quam ipse D. Thomas (4) praebet distinguendo oppositae i. e. imperative a religione; conc. Sine hujus imperio; neg. Aliqui impugnant hanc distinctionem, quia dicunt actus fidei, spei et charitatis non esse aptos ad cultum Dei, sed immerito; nam: a) actus virtutum theologiarum possunt esse materia voti: ergo possunt imperari a religione. b) Possunt assumi hi actus in signum reverentiae quia eo ipso quod per fidem captivatur intellectus in obsequium Dei, est aptissima nota subjectionis et submissionis; idemque est de aliis actibus caeterarum virtutum.

Obj. 5.^o Oratio est actus religionis. Sed oratione petimus Deum ipsum. Ergo religio saltem inadaequate habet pro objecto materiali *quod* Deum.

Resp. Conc. *Maj.* vel dist. immediate elicited; neg. Proxime imperatus; conc. Dist. *Min.* Petimus Deum a Deo ut objectum cui exhibemus cultum per actum religionis imperatum a spe vel charitate; conc. ut objectum *quod* voluntatis orandi; neg. hoc enim non est Deus, sed oratio ipsa interna vel externa.

Inst. Ejusdem virtutis est intendere finem et applicare media. Sed intendere Deum est spei vel charitatis, ut concedis. Ergo et petere Deum.

Resp. Dist. *Maj.* si *medium*, hic *actus imperatus*, non habet in se aliam honestatem ut in proxime imperatis; conc. Si aliam; neg. Quando enim una virtus indiget ope alterius, non solum quoad materialem actum illius, sed etiam quoad formalem honestatem ejus, tunc virtus movens non potest esse eliciens, sed tantum imperans, quia tunc ad talem actum eliciendum, necesse est operari ex motivo proprio virtutis motae, cujus auxilium ab altera imploratur: ut declaratur in virtute poenitentiae cum intendit expellere peccatum et non potest sine adjutorio charitatis.

(1) *Enchir.* c. 3.—(2) D. Thomas 2, 2, Q. 81, a. 5.—(3) L. 3, c. 2, n. 8.—(4) 3 D. 9, q. 1, a. 1.

Ut hanc et superiores solutiones perfecte capias adverte, virtutum moralium actus duplicis esse generis; alii proxime et per se fiunt ab ipso habitu, et dicuntur hujus habitus seu virtutis actus interni, ut sunt in religione velle Deum colere, adorare, etc. Alii non procedunt ab ipso habitu nisi mediantibus prioribus actibus et appellantur respectivae virtutis actus externi, ut sunt in religione adoratio, oratio, etc. Horum aliqui non habent per se honestatem alterius virtutis ut adoratio; alteri habent, ut cum credis, speras, etc., ad honorandum Deum, actus habent honestatem fidei, spei, etc. Tres igitur sunt actuum classes in religione: 1.^a Eorum, qui proxime et per se fiunt ab ipso religionis habitu. 2.^a Eorum qui non habentes aliam a religione honestatem, non tamen fiunt ab ea nisi mediantibus prioribus. 3.^a Eorum, qui etiam non fiunt ab habitu religionis nisi mediantibus primis, sed quia per se habent honestatem alterius virtutis fidei, spei, etc., ab his virtutibus ex imperio religionis proxime eliciuntur. Actus primae classis ab omnibus auctoribus vocantur *eliciti*; actus secundae classis aliquibus sunt *eliciti*, quia religio eos exerit, aliis sunt *imperati*, quia non immediate exerit; tertiae classis omnibus sunt *imperati*. In quaestione nominali placuit sequi Suarium, qui actus secundae classis *proxime imperatos* appellat, tertiae classis *remote imperatos* vocat.

Obj. 6.^o Poenitentia juxta sententiam probabiliorem pertinet ad excellentiorem justitiam hominis erga Deum. Sed haec excellentior justitia non distinguitur a religione. Ergo neque poenitentia a religione, et e contra. Prob. *Min.* Redditio debiti ad Deum vel est specifica in ratione objectiva, ita ut suam tantum et specialissimam virtutem justitiae constituat et sic non distinguentur poenitentia et religio; vel est generica et sub illa distingui possunt rationes debiti ad Deum speciales et sic non solum duae distinguendae erunt, scilicet religio et poenitentia, sed plures aliae, puta gratitudo ad Deum, fidelitas ad Deum, observantia ad Deum, quae specialissime dicitur religio. *Conseq.* prob. Quia sicut aliud est debitum quod nascitur ex injuria illata, ita aliud est quod nascitur ex beneficio accepto, aliud ex promissione facta, aliud ex dominio vel excellentia personae. Ergo.

Resp. Conc. *Maj.*; Neg. *Min.* Ad prob. Neg. primum membrum, conc. secundum; *consequens* vero hujus membri dist. Probabiliter, si respicerent jus diversum Dei conc. Si non; neg. Discrimen est quia duplex jus ex parte Dei considerare possumus: unum quod habet tamquam proprius et peculiaris Dominus, vel famae suae, vel honoris, vel aliarum rerum externarum, ad quod specialiter pertinet dominium vitae et mortis humanae, jurisdictio suprema, quam in omnes homines habet ad praeciendum, etc. Aliud jus